



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

3 Vtrùm priuata auctoritate liceat interficere maleficos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

& volatilibus celi, & uniuersis bestiis terre: ergo potest eas in suum usum conuertere. Confirmatur, quia non potest homini elementis simplicibus, vt terra, aqua, &c. ergo compositis, qualia sunt animalia & plantæ, quæ sine anima non possunt conseruari, sed mox corrumpuntur: vnde anima est ipsius data instar falis conseruantis à putredine, (vt rectè dixit Philo) vt homo possit illis vti, cum liberit.

2
Abstinendum à crudelitate.

Aduerte tamen, etsi liceat animantia occidere, abstinendum tamen à crudelitate, ne sine causa doloribus conficiantur: vnde Proverb. 12. *Non in iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.* Exodi 23. *Deus præcepit diem sabbati, etiam propter quietem iumentorum.* Ionæ vlt. *Parce Niuiæ, tum ob homines, tum ob iumenta.* Deut. 22. *Non arabis simul in boue & asino; ne vide licet totum iugum in asinum decidat; cum sit minor.* & cap. 25. *Non alligabis os boui trituranti.* Nec obstat quod Apostolus hunc locum adferens dicat, *Numquid de bobus cura est Deo?* vult enim dicere, hoc non esse principaliter scriptum propter boves, sed ob rem significatam: secundario tamen, etiam vt animantia cum ratione tractentur.

Hinc patet Primò, Possè in hac re esse peccatum, saltem veniale. est enim abusus quidam potestatis herilis, & dominij. Secundò, quanta sit suauitas diuini spiritus, etiam in creaturas ratione carentes.

DVBITATIO II.

Vtrum liceat occidere peccatores.

D. Thom. art. 2.

3 Respondetur affirmatiuè. Ratio est; quia pars est propter totum: quare ob totius conseruationem potest excindi: ergo cum singuli peccatores sint pars Reipub. ob eius incolumitatem possunt occidi.

Notandum est, Scorum in 4. d. 1. q. 3. art. 2. docere, non quosuis peccatores posse à potestate publica occidi: sed eos dumtaxat, quos Deus in veteri Testamento expressit. Ratio est; quia Deus Exodi 22. & Matth. 5. absolutè & generatim prohibet hominis occisionem: *Non occides.* ergo non licet quemquam occidere, quantumuis ille malus sit, nisi Deo dispensante in suo præcepto. atqui Deus non dispensauit nisi circa quosdam peccatores, quos excepit Exodi 22. & alibi. Hinc veteris infans, fures non posse occidi, quia non sunt excepti.

Scoti sententia, fures occidi non posse.

4
Contra-rium probatur.

Sed hæc sententia defendi nequit. Primò, Nam D. Thomæ ratio generatim probat de omnibus peccatoribus Reipub. noxiis; quæuis enim pars est propter totum, ergo ob totius incolumitatem potest rescindi. Secundò, Quia si illos solos licebat occidere in veteri Testamento, quos Deus excepit, nempe maleficos, blasphemos, adulteros, Sabbathum violantes, & paucos alios; ergo in nouo Testamento nullos licebit occidere, quia illæ leges, quibus hi iubebantur occidi, erant iudiciales, accommodatæ statui illius populi; ac proinde iam cessarunt: & in Scriptura noui Testamenti nihil de his vel aliis occidendis habemus. Hoc Iulianus Apostata prætexens, Christianos priuabat Magistratu; vt habet Socrates lib. 3. histor. c. 11. Tertio, Principes ethnici laudabiliter occidere poterant

malefactores: (qui tamen Scripturam non legerant, vt possent scire quos Deus excepisset) vt patet ad Rom. 13. *Non sine causa gladium portat; Deus enim minister est, vindex in iram illi, qui male agit.* Vide D. August. lib. 1. de ciuitate cap. 21. Denique Scoti sententia infirmo nititur fundamento; nam præceptum *Non occides* intelligitur tantum de innocentibus, iuxta illud, *Iustum & innocentem non interficies;* & de occisione, quæ fit priuata auctoritate, aut non seruato ordine Iuris.

Præceptum Non occides, quomodo intelligitur.

DVBITATIO III.

Vtrum priuata auctoritate liceat interficere maleficos.

D. Thom. art. 3.

5 Respondeo, Non licere priuata, sed dumtaxat publica auctoritate. quod intellige de occisione ad punitionem, non ad necessariam sui defensionem. Ratio est; quia non licet interficere peccatores, nisi ob bonum Reipub. sicut non licet amputare membrum, nisi ob salutem corporis: atqui procuratio boni publici pertinet ad publicam potestatem, quæ est in Principe, vel Magistratu: ergo ad solum Principem pertinet, malefactores è medio tollere; sicut ad solum suppositum, membrum secare. Vide D. August. l. 1. de Ciuit. cap. 17. 21. 26. & Gratianum 23. q. 5.

Nec obstat, quod interdum permittatur, vt quis possit occidere publicos hostes Reipubl. vt latrones & proscriptos, quos Bannitos vocant; quia tunc non occiduntur auctoritate priuata, sed publica, concessa à Principe, qui illam dare potest; primò, quando alia via malum impendens auerti nequit: vt sæpe accidit in coniurationibus. secundò, quando criminofus alia ratione castigari non potest; tamen illum castigari omnino expedit, vel ad terrorem aliorum, vel ne plura scelera pateret; vt fit in Banniis. vide infra num. 15. Dubit. 5.

DVBITATIO IV.

Vtrum homini priuato liceat interficere tyrannum.

6 Alphonsus à Castro lib. de hæresibus v. Tyrannus, sentire videtur nullum tyrannum ab homine priuato posse interfici: idque probare conatur multis argumentis. Verum distinctione vtendum.

7 Respondeo igitur, dupliciter fieri posse, vt quis sit Tyrannus. Primò, ratione tituli, nempe si abique villo Iure, armis principatum inuadat, vel occupet; sicut Turca regna Orientis, & alia vicina. Talis potest à quouis de regno interfici. est communis sententia DD. D. Thomæ 2. Sententiarum d. vltima q. 2. a. 2. ad 5. vbi pro hac sententia adducit Cicetorem laudantè eos, qui Cæsarem, quamuis familiarem & amicem, occiderunt; eumq; explicans ait: *Tullius loquitur in eo casu, quando aliquis dominium sibi per violentiam surripit, nolentibus subditis; vel etiam ad consensum coactis; & quando non est recursus ad Superiorem, per quem iudicium de iniuria fieri possit. Tunc enim qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur & præmium accipit.* Idem eruditè docet Caiet. q. 64. a. 5.

Tyrannus duplex. 1. ratione tituli.